



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **EDEANA\*** IN CAMMARUNIA NOVA

CONDITUR DIOCESIS NOMINE EDEANA Quo aptius consuleretur evangelizationis operi in Cammarunia, Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi, re mature perpensa auditisque eorum quorum interest faventibus votis, censuerunt nuper in eadem Natione novam condendam esse dioecesim, detractis duabus partibus territorii, una ab archidioecesi Dualaënsi altera a dioecesi Nkongsambensi. Nos igitur, de universo Dominico grege solliciti, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate sequentia decernimus. Ab archidioecesi Dualaënsi separamus partem territorii quae « Département de la Sanaga Maritime » appellatur; a dioecesi autem Nkongsambensi seiungimus partem territorii, quae « Département de Nkam » nuncupatur et in qua Missio Yinguinensis est sita, ex iisque novam condimus dioecesim Edeanam appellandam, quam suffraganeam metropolitanae Sedi Dualaënsi facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus, cuius limites iidem erunt ac duarum partium territoriorum civili, quae memoravimus. Praeterea iubemus Episcopi cathedram collocari in templo Sacro Cordi Iesu dicato, quod in urbe Edeana exstat, atque consultores dioecesanos eligi et adhiberi ad normam iuris; cetera secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus ad exitum perducet Venerabilis Frater Sanctus Abril y Castelló, Archiepiscopus titulo Tamadensis, Apostolicus Pronuntius in Cammarunia, vel a eo delegatus sacerdos, factis nempe necessariis facultatibus. Re autem acta, documenta exarentur sincerisque exemplis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione cito mittantur. Hanc denique Apostolicam Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, die altero et vicesimo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto decimo.*

ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status*

JOSEPHUS card. TOMKO

*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*  
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

\*A.A.S., vol. LXXXV (1993), n. 6, pp. 471-472

© Copyright 1993 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana